

ANGELI POLITIANI *Epistolae*; PETRI BEMBI *Epistolae*; IACOBI SADOLETI *Epistolae*; M. ANTONII MVRETI *Orationes et Epistolae*; PETRI CVNAEI *Orationes et Epistolae*; CONRADI SAMVELIS SCHVRZFLEISCHII *Dissertationes Academicae, Orationes panegyricae et allocutiones varii argumenti, Epistolae selectiores*: IACOBI FACCIOLATI *Orationes de optimis studiis*: PAVLINI a S. IOSEPHO *orationes*. Non solum autem solutae orationis scriptores latini scholarum Superiorum vsui publico sunt commendandi, sed et ligatae orationis scriptores. Latina enim poësis multum ad culturam et conseruationem ipsius linguae facit. Poëtae enim latini solliciti sunt de epithetis, quae congruunt, de similibus et aptis descriptionibus, de veris Synonymis, vnde copia verborum, de accentu etiam, sine quo vitiosa est pronuntiatio. (a) Iudice autem CHRISTOPHORO CELLARIO, in scholis vtilissime explicantur hi poëtae, *Virgilius, Horatius, Ouidius, Silius Italicus, Aur. Prudentius*. (b) Qui ideo etiam sunt legendi et explicandi, vt artificium poëticum addiscatur et eliminata veluti nostra aetate poësis latina postliminio ad nos redeat, et vena poëtica latina maiorum nostrorum, *Iohannis Oweni, Nathanaëlis Chytraei, Georgii Sabini, Eobani Hessi, Petri Lotichii, Thomae Naogeorgii, Iohannis Maioris, Friderici Taubmanni, Nicolai Reusneri, Iulii Caesaris Scaligeri, Danielis Heinsii, Hugonis Grotii, Casparis Barlaei*, quasi exsanguis ebullire et scaturire incipiat. Teutonica enim poësis, quae vbique hodie per Germaniam nostram sonat, latinam exterminauit. De qua b. Cellarii iudicium hoc est: *Sunt, qui adolescentes ad patrii sermonis culturam adducant magis atque prius, quam latine scribere coepissent, verum, ut nobis videtur, consilio id fit praepostero. Nam experientia, nobis multis exemplis perspectissima,*

B constat,

(a) v. CHR. CELLARII *diss. de poëtis scholae publicae vtilioribus*, §. 28. quae legitur in *dissertationibus eius Academicis*, p. 670.

(b) l. c. §. 29. - 35.